

rum, in Tigurinorum ac Bernensium agro collecta, Argentinam advenire, qui confœderatorum auxiliarij, 3. Augusti cum reliquo equitatu & peditatu urbe educti, Molsheimium obsederunt. At 15. Augusti commeatus pro toto exercitu, nec non stipendia pro tribus peditum signis, cum Imperio centurionis Hansen von Nürenberg in castra mittenda erant. Vademon-tius Comes, & ipse Dux Lotharingæ, qui se cum suis copijs Cardinali fra-tri junxerat, hæc resciscens, magnâ celeritate hosti obviam proficiscitur,



eumque non procul à pago Dippichen conspiciens, mox signo dato in elus equitatum fertur, trucidatis nonnullis ordines peditum turbat, pedites fugam arripientes partim cæsi sunt, partim templum & cæmeterium pagi occupantes, cum viribus hosti impares essent, tandem ejus se commiserunt arbitrio. Captus est in eo conflictu Iohannes Zeyolphus, militum stipendiis Præfectus cum omni commeatu, ac prædâ non contemnendâ. Currus & alia impedimenta, quæ secum abducere non potuerunt, subiecto igne concremarunt; Capitaneum vero supra nominatum ob profectam ætatem cum signifero suo, in urbem remiserunt. Dum hæc in Dippichengerebantur, præfidiarij Molsheimenses eruptione faciâ tribus penè horis cum hoste velitarunt, eumque distinuerunt, ne periclitantibus socijs opem ferre posset. Hoc tristi nunciò in castra allato, cum commeatus magna esset penuria, obsidionem solverunt Brandenburgici, & cum omni apparatu bellico Argentoratum sunt reversi. Equites & Helvetij in urbem quidem recepti fuere, at alia octo Germanorum signa in suas stationes priores reducta sunt. Interea cum Germani, qui sub Christiano Anhaltino Principe in Galliam ante annum profecti erant, peractâ expeditione suam manipulatim ad suos delaberentur. Brandenburgicus & socij belligerantes trecentos ex equitibus sacramento sibi, sub Imperio Kôeritij, obligarunt: coegerunt & Gallos equites, quibus ad excursiones uterentur. Quin & Principem Anhaltinum per literas & internuntios sollicitarunt, ut ipse belli curam suscipiat: qui Argentoratum cum 200 equitibus veniens, Præfectus totius exercitus declaratus, quotidie plures undique milites contrahebat.